

*Tradet regnum Deo et Patri,  
ut sit Deus omnia in omnibus.*

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli  
ad Corínthios

15, 20-26. 28

**F**ratres:

- <sup>20</sup> **C**hristus resurréxit a mórtuis,  
primítia dormiéntium.
- <sup>21</sup> Quóniam enim per hóminem mors,  
et per hóminem resurréctio mortuórum:
- <sup>22</sup> sicut enim in Adam omnes moriúntur,  
ita et in Christo omnes vivificabúntur.
- <sup>23</sup> Unusquísque autem in suo órdine:  
primítia Christus;  
deínde hi, qui sunt Christi, in advéntu eius;
- <sup>24</sup> deínde finis,  
cum tradíderit regnum Deo et Patri,  
cum evacuáverit omnem principátum  
et omnem potestátem et virtútem.
- <sup>25</sup> Opórtet autem illum regnáre,  
donec ponat omnes inimícos sub pédibus eius.
- <sup>26</sup> Novíssima autem inimíca destruétur mors.
- [<sup>27</sup>]
- <sup>28</sup> Cum autem subiécta fúerint illi ómnia,  
tunc ipse Fílius subiéctus erit illi,  
qui sibi subiécit ómnia,  
ut sit Deus ómnia in ómnibus.

Verbum Dómini.